Placita Stoicorum nonnulla, quæ summum spectant moralitatis principium, cum Kantianis comparata.

Dissertatio Philosophica,

quam

Consent. Ampliss. Philos. Ord. Lundensi

publice defendet

JOH. VICT. HOFLUND,
Philos. Mag.

Respondente

CAROL. GUST. BRUNBERG,
Smolando.

In Acad. Carolina die XV Junii MDCCCXXXIII.

P. I.

Londini Gothorum,
Typis excudit C. F. Berling,
Universitatis Typographus.
MDCCCXXXIII.

Hof-Rätts-Commissarien

Wälädle

Herr ANDERS BRUNBERG

samt

Dess Fru

FREDRIKA BRUNBERG,

född BÖHME,

egnas dessa blad

af

Sonlig tacksamhet.

§. 1.

In systematibus Philosophorum, æstimandis et dijudicandis, sive singulorum, ut ita dicam, organismum internum, sive omnium inter se nexum respexeris, maximus sane obtinet dissensus, dum alii toto ea distare cœlo credant, quæ alii, rem altius repetentes, inveniant conjunctissima. Neque id mirum. Quo enim pacto omnium concentum is divinaret, qui singula systemata radios esse varie refractos, vel vias ad unum idemque tendentes ignorans, effata atque principia philosophorum haud aliter memoriæ mandat, quam nomina florum forte obviorum et tum se demum longe profecisse credit, cum enunciata summorum virorum ordine chronologico recitare potest? Qui tamen dissensus, nostra saltem sententia, fere tolleretur, si omnes, qui in scientia omnium facile subtilissima operam suam collocant, nihil omnibus numeris perfectum adhuc exsistere, nihil vero, quamquam deprehendatur mancum, omnino esse spernendum probe tenerent. His enim concessis, unusquisque, qui vel fontes sapientiæ veritatisque propius inspicere cuperet, vel se accingeret ad scribendum, sane intelligeret, suum non esse placita cujusdam viri egregii studio ardentissimo amplecti, ceterisque omnibus neglectis, in verba jurare magistri sed nihilo, de dignitate ceterorum detracto suum tantummodo sequi judicium. Nam duo vitia in philosophando, me judice, imprimis evitanda videntur; alterum ne tempus inutiliter teramus in eis investigandis atque

eruendis, quæ jam antea satis sunt cognita atque stabilita, alterum vero huic oppositum, ne, vestigiis aliorum strictius insistendo (quod solent ii, qui, cum non satis acri judicio sint præditi, e rivulis minime limpidis, quos sine studio vehementiore adire licet, sapientiam suam sæpissime hauriunt) justoque majorem in eis fiduciam ponendo, incerta pro certis, falsa pro veris habeantur Quod si evitetur, Historiam systematum maximi esse momenti planeque necessariam unicuique, qui longius progredi cupiat, non est, quod fusius demonstrem; neque enim tantummodo in novis inveniendis, sed etiam in eis, quæ jam pridem ab aliis sunt prolata, retractandis, dijudicandis atque inter se comparandis, versari debemus. — Hæc nobis considerantibus simulque repetentibus memoria, quod suo jam tempore egregie monuit Baco de Verulam, "*systemata inter se dissimilia, nihil esse aliud, nisi glossas ejusdem revelationis, quarum jam hæc, jam illa, sensum Auctoris Divini optime explicat,*" non modo studium, quod Historiæ philosophiæ impenditur, utilissimum visum est, sed imprimis comparationes inter Philosophos egregios critice institutæ vehementer arriserunt. Cum igitur jam in eo essem, ut argumentum quoddam philosophicum mihi tractandum sumerem, comparationem quandam mihi potissimum eligendam putavi inter coryphæos, si tali vocabulo uti licet, antiqui temporis et recentioris, præsertim cum eos in rebus haud paucis eadem progressos esse via, jam antea observarunt viri Celeberrimi. a) — Temporis vero operisque arctis limitibus circumscripto nihil fere nisi ipsa principia attingere mihi licet; quid de toto sentiam systemate modoque, quo cetera placita e principiis sunt derivata, alio tempore v. D. sum declaraturus.

Si vero varia de variis disciplinis lata sunt judicia, hoc tamen imprimis inter omnes veteres de Stoicis valere videtur. Quos dum nonnulli contendunt omne tulisse punctum in finibus bonorum constituendis, in Sapiente delineando, in regulis denique edendis vitæ morumque, eosdem alii erroribus plenos indignos-

---

a) Cfr. ex. gr. Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre entworfen von F. Schleiermacher. Berlin 1803 pag. 134.

que, qui Philosophi salutentur, judicant. b) In tanta varietate sententiarum reique ipsius obscuritate est sane difficillimum, aliquid pro certo veroque affirmare. Ut vero intelligatur, qua methodo hæc discrepantia optime tolli queat, brevem delineationem caussarum, unde potissimum sit orta, hoc loco haud supervacaneam judicamus. Quæ vero caussæ partim in historia de ipso ortu atque progressu hujus disciplinæ, partim in modo, quo dogmata eorum postea sunt explicata, nobis quærendæ videntur.

§. 2.

Prius igitur quod attinet, inter omnes constat, Stoicos, qui antea Zenonii appellabantur, originem debere Zenoni, Cittieo, morum probitate insigni. Qui cum Athenas venisset, bonis, ut plerique tradunt, naufragio amissis, operam Philosophiæ impendere Cynicosque imprimis audire incepit. Quorum quamquam pleraque dogmata vehementer placerent, torva tamen et austera facies, quin eos auctores sequeretur, absterruit; unde ortum consilium novi condendi systematis non multum a placitis Cynicorum abhorrentis, magis tamen, teste Cicerone, decoris atque verecundiæ habita ratione. — Adversarii fuerunt Epicurei et Academici recentiores, inter quos imprimis Arcesilas, cui hoc Stoicorum effatum; *Sapiens non opinatur,* erat oppositum. c) Ex his brevi-

b) In Stoicis refellendis atque irridendis inprimis multus est Bruckerus. Vid. Partem 1:mam Historiæ Criticæ Philosophiæ, pag. 904 et seqq., ubi contendit, eos non solum errores et figmenta sua fuco ubicumque conquæsito illevisse, sed etiam si quæ apud eos inveniantur vera, ea omnia Religioni Christianæ esse tribuenda, cujus cum præstantiam ubique recipi et tamquam sanctissimam disciplinam coli viderent, non verba tantum, sed sententias quoque et dogmata in suos usus vertisse et systemati suo accommodasse. Quæ sententia de Stoicis, Christianos subdole imitantibus, quamvis fundamento omni historico sit destituta, multis placuit; quin etiam epistolas Pauli, quæ dicuntur, ad Senecam circumferri, est notissimum. Præcipue vero hoc mihi mirandum videtur, quod Cicero, qui se in morum doctrina Stoicos imprimis sequi ipse testatur (Vid. de Off. Lib. I Cap. II), aliis locis eosdem acerrime reprehendat criminaque contra eos quasi coacervet. Cfr. locos alios ut taceam, Librum IV:tum de Finibus, qui totus ad eos refellendos conscriptus videtur.

c) Jam heic, quasi in propatulo, innuere liceat, Philosophiam etiam Kantianam Scepticismo fuisse oppositam.

ter disputatis ingenium quidem ejus Philosophiæ quodammodo dijudicari potest, singula vero ejus dogmata non æque facili negotio exhiberi possunt, præsertim cum fragmenta tantummodo paucissima exstant ejus operum, quorum enumeratio apud Diog: Laërt. L. VII. 4 invenitur d) ipseque Laërtius multa ad Zenonem retulisse videtur, quæ post fata ejus ab aliis sunt edita. Nec opera quædam exstant Herilli, Cleanthis ceterorumve, qui Zenonem audiverant. In hac igitur re gravissima sæpe omnia sunt haurienda ex uno Diogene, quem constat sæpius agere compilatorem, quam criticum.

Alia ex eo difficultas oritur, quod haud pauci, qui nomen Stoicorum præ se tulerunt, interdum non modo genuinam doctrinam Zenonis reliquerint, sed etiam a se invicem in diversa abierint. Quod verum esse magis patebit, si ea, quæ de Aristone et Herillo memoriæ sunt prodita, summatim retulerimus. — Quamquam enim ipse Zeno Philosophiam in tres diviserat partes: Logicam, Ethicam et Physicam, illam assimilans ossibus et nervis, istam carneis partibus, hanc vero animæ e) et per hanc ipsam rem, nostra saltem sententia, Physieam, quippe quæ doctrinam de rebus Divinis contineret, præ ceteris eminere, quodammodo innuisset, f) ille tamen Logicam, quia tantum *τα μη προς ἡμας*, Physicam ve-

d) Inter hæc imprimis memorabiles sunt libri, quos, Rempublicam Platonis refutaturus, *περι πολιτειας* conscripsit. Enumerantur præterea a Diogene: *περι του καθηκοντος — περι του κατα φυσιν βιου — περι ανθρωπων φυσεως — περι νομου* &c.

e) Diag. Laert. Lib. VII: 40. Alio quidem modo hæc divisio proposita invenitur apud Sext. Empir. advers. Math. VII: 17; hæc vero potius recentiorum sententias, quam genuinam Zenonis doctrinam respicere credimus.

f) Similiter sentit Cel. Ritter: Und wenn nun schon beim Platon und beim Aristoteles die Neigung sich gezeigt hatte, alles Materielle für ein Körperliches zu halten, so finden wir es auch übereinstimmend mit den frühern Entwichlung der Griechischen Philosophie, das den Stoiker alle Dinge als körperlich erschienen. *So wurde das Physische ihnen zur Grundlage aller Philosophie.* Vid. Geschichte der Philosophie von Dr. Heinrieh Ritter. Dritter Theil. Hamburg 1831 pag. 563. Cfr. pag. 522. Sententiam huic contrariam, cui minime adstipulari possumus, defendere conatur Cel. Tenneman.

ro, quia τα ὑπερ ἡμας conplecteretur, omnino rejiciendam putans, omnem operam studiumque in Ethica collocavit. Hinc etiam in doctrina de Deo a Zenone multum discessit, quod tamen, utpote a re nostra magis alienum, hoc loco missum faciamus. Doctrinæ vero ejus de moribus, quam, ut jam antea monuimus, unam habuit partem Philosophiæ, dicta nonnulla principalia afferre placet, simul propositis, quæ eisdem de rebus crediderunt Zeno et Herillus, ut inde, in quibus dissenserint, melius dignosci queat. Contendit Zeno:

1:o) Nihil revera esse bonum, nisi virtutem seu honestum; nihil revera malum, nisi vitium seu inhonestum. Quæ nec bona nec mala essent, appellabat αδιαφορα, μεσα (apud Romanos: neutra); in aliis vero eorum (προηγμενοις) satis credidit esse caussæ, cur ceteris anteponerentur, ut in integritate sensuum, in valetudine; alia (αποπροηγμενα) satis putavit continere caussæ, cur rejicerentur, ut morbum, paupertatem, ignominiam. g) Virtutem igitur unam, sine qua bene beateque nullo modo vivere possumus, magni æstimat sapiens, neque tamen cetera, quæ bona sunt fortunæ, omnino spernenda aut rejicienda censet.

2:o) Finem Bonorum seu summum bonum habuit honestum, quod ducatur a conciliatione naturæ.

Aristo vero hoc modo ratiocinatur:

1:o) Pædagogi quidem est singula hominum enumerare atque describere officia, non vero Philosophi, cui nihil aliud propositum esse debet, nisi ut, summum quid sit bonum, indagetur. Nihil homini curæ esse debet nisi ut adipiscatur virtutem, nihil præter vitium fugiendum. Nullæ sunt res, præter virtutem et vitium, inter quas quidquam omnino interest. Divisio igitur Zenoniana των αδιαφορων in προηγμενα et αποπροηγμενα omnino rejicienda.

---

g) Cic. de Finib. L. III: 15, 16.

2:o) Finis: in rebus mediis neutram in partem moveri, quæ ἀδιαφορια ab ipso est dicta.

Has fovet Herillus sententias:

1:o) Quæ sunt extra virtutem, quamquam ad finem boni merito non possint referri, ὑποτελιν tamen constituunt, quæ non stultis modo, sed etiam sapientibus, est proposita. Hinc eum duo sejuncta ultima bonorum facere, contendit Cicero.

2:o) Finis est scientia.

Ex his non eo consilio, ut, quid singuli contenderint Stoici, explanaretur, breviter propositis, unicuique satis patere crediderim, quantum inter se dissenserint. Qui dissensus, cum satis sit magnus inter ipsos Philosophos, multo tamen apparet major inter eos, qui Historiam eorum sibi describendam sumserunt. Est enim tanta inter eos sententiarum varietas, ut, sive quid Stoici summum habuerint morum principium, sive, quomodo ad mentem eorum revera sit explicandum interroges, varia a variis referes responsa h). Ut vero omnia, quæ certo destituta sunt fundamento, corruant necesse est, ita neque in doctrina de moribus systema satis firmum condi potest, nisi quadam constituta formula, quam qui sequuntur, in comparatione rerum ab officio numquam recedant nec illud, nisi hac percepta, probe intelligi potest. Si igitur in exponendo principio, quod ipse Auctor Criticæ Philosophiæ cuique alii Ethices prin-

h) Sic, exemplum ut proferam, summum Stoicorum morum principium hoc modo profert Kosengarten: *Betrachte nur das Wohl des Gansen als dein eigen Wohl.* Vid. Adam Smiths Theorie der sittlichen Gefühle, uebersetst, vorgeredet, hin und wieder kommentirt von Ludv. Theobul Kosengarten. Leipzig 1791. Erster Theil pag. 430. Quod effatum vix a quopiam Stoicorum pro principio habitum invenies, excepto Marco Aurelio, qui et posterioribus vixit temporibus et in haud paucis a Zenone recessit. Vid. *Εις ἑαυτον* IX: 13. Non est, quod objicias, nos, naturæ convenienter viventes, tum nostro tum publico commodo optime consulere et has enuntiationes eam ob caussam consentire. Observes enim, necesse est, unumquodque præceptum, quod non repugnat rationi, relativæ, ut ita dicam, esse veritatis atque ut principiatum, vere summo principio subordinatum, posse considerari. Hoc respectu normæ actionum non modo a Zenone et Antonino, sed etiam ab Epicuro Kantioque propositæ, inter se consentiunt.

cipio materiali anteferendum censuit, i) potissimum sumus versati, hoc eo paratiorem, ut speramus, inveniet excusationem, quod collatis principiis, quo inter se ipsa systemata juncta sint vinculo, sine multo verborum apparatu unicuique patere crediderimus.

§. 3.

In summo edendo morum principio Stoicorum, ab ipsis jam τελος, jam ὁ νομος ὁ κοινος k) appellatum, magnopere (ut jam antea monuimus) dissentiunt ii, qui de Philosophia eorum scripserunt et, si ipsorum scripta evolvere placet, non semper eandem laudatam invenies formulam. Quod tamen non tam inconstantiæ cuidam, quam aliis quisbudam caussis esse tribuendum, persuasissimum habemus. Neque enim magnopere opus erat principio quodam fixo atque stabilito, cum nemo de doctrina sua in artis formam redigenda cogitaret, nec omnes formulæ ab eis laudatæ principiorum locum affectant. Præterea ad indolem Philosophiæ eorum paræneticam hac in quæstione respiciendum. Cum enim crederent virtutem, supremum omnium finem, in formula tantummodo præceptam generali, animos hominum minus permovere atque allicere, neque tamen alium quam ipsius præstantiam, admittere vellent ελατηρα animi hoc eis imprimis curæ fuit, ut eam speciatim i: e: in Sapiente delineato omnibus, quas umquam attingere natura humana potest, virtutibus ornato, proponerent, quo celsitudo ejus et pulchritudo admiranda oculis quasi posset cerni. Cum igitur, quam Stoici legem habuerint morum primariam, quæritur, non modo ad formulam, in qua constituenda haud raro dissentiunt, sed etiam ad ideam Sapientis, in quo describendo in plerisque consentiunt, respiciendum putamus.

Omnia, quæ Stoici de summo morum præcepto, forma imperativa exprimendo, disseruerunt, ideæ perfectionis humanæ demum efficiendæ sunt superstructa; et quæcumque de alio quodam fine hominibus et actionibus eorum liberis proposito apud eos occurrunt,

---

i) Vid. Grundlegung zur Metaphysik der Sitten. Zweyte Auflage. Riga 1786 pag. 91 et seqq., collat. cum pag. 70 ejusdem auctoris libri, qui inscribitur: Critik der Practischen Vernunft. Riga 1788.

k) Diog. Laërt. VII: 87, 88.

huic ideæ esse subsumenda, facili demonstrari posse negotio credimus. Omnes enim, quas fundamentales habuerunt, formulæ, in tres classess possunt dividi; aut enim convenienter vivere naturæ, aut Divinæ parere voluntati, aut demun rectam sequi rationem præcipiunt; quarum unaquæque nunc nobis est consideranda.

1:o) Zeno plurimique veterum, qui eum sunt secuti, legem morum fundamentalem, teste Diog. Laërt. l) hac formula exprimendam crediderunt: δει ὁμολογουμενως τη φυσει ζην; et si, quid hac de re senserint recentiores, quæsieris, idem ab eis confirmatum invenies. Καταμαθειν την φυσιν και ταυτη ἑπεθαι m) — Ζητει τι εςι σοι κατα την σην φυσιν, και επι τουτο σπευδε n) — Quod inter omnes Stoicos convenit, rerum naturæ assentior. Ab illa non deerrare et ad illius legem exemplum formari, sapientia est. Beata est ergo vita conveniens naturæ suæ. o) — In hoc sumus sapientes, quod naturam, optimam ducem, tamquam Deum, sequimur eique paremus. p) — Ceteros, qui plurimi idem confirmantes afferri possint, locos missos faciamus, breviter, quid per hanc ὁμολογιαν innuere voluerint, ostensuri. Neque enim ex ipsa formula, dum nos naturæ jubent obtemperare, satis liquet, quis sit demum finis nobis propositus, in quo attingendo omnis cura omneque studium debet versari. Ambigi potest, utrum nos legibus, quibus omnia, quæ exsistunt, parent, an eis, quæ in μικροκοςμον humanum vim suam exserunt submittere debeamus, et, si hoc affirmatur, altera exoritur quæstio, utrum τω ἡγεμονικω εν ἡμιν seu naturæ nostræ rationali, an sensuali obsequium præstare, nobis sit injunctum. Quo respectu, quam vagum hoc sit principium ipsos senssise Stoicos jam ex eo certisime patet, quod haud pauci eorum in hac lite componenda fuerint occupati. Quam enim regulam de universa natura tantummodo valere judicavit Cleanthes, eandem Chrysippus etiam ad humanam retulit. Si vero simul observaveris, quod idem af-

l) VII: 87.
m) Epictet. Enchirid. 49.
n) Antonin. Lib. XI: 16.
o) Seneca de Vita Beata Cap III.
p) Cic. de Senect. Cap. II.